



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Parisiense I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO CHRISTI 362.  
 ANNO CHRISTI 362.  
 minum propter nos hominem factum, corpus habere sine mente. Idemque anathemate prosequor eos, qui confessionem fidei Nicænæ vilipendunt, & qui negant Filium ex substantia Patris, & coessentialem Patri existere. Execror item eos qui dicunt, Spiritum sanctum propter Filium, creaturam esse factum. Præterea Sabellii, Photini, omnemque hæresim anathematizo, incedens secundum Nicænâ fidem, & secundum omnia superius scripta. Valere vos opto ego Cartherius.

## NOTA.

\* *Epistola synodalis.* ] Quod epistolæ huius inscriptio, contextus & subscriptio, hanc alibi ab Eusebio & Asterio scriptam, alibi vero ad eisdem datam referant, mendosum est: emendari vero aliter non potest, quam ut ex sententia antiquorum fere omnium historicorum affirmemus, Eusebium episcopum Vercellensem huic Synodo præsentem fuisse, eandemque epistolam sicut ab Athanasio atque aliis collegis, ita etiam ab eodem Eusebio fuisse conscriptam. Quod autem in damnatione hæresis Apollinaris, docentis Filium Dei corpus inanimatum assumpsisse, nulla mentio habeatur, accidit, vel quia illa hæresis nomine Apollinaris nondum vulgata fuerit, sed tantum incerto auctore prodierit: vel quia ipse Apollinaris per monachos, qui Synodo interfuisse dicuntur, hæresim suam abdicauerit. Vnde factum est, ut S. Basilius tempore Valentis cum Apollinare communicari potuisset responderit, quem errasse ignorabat. Vide Baron. ann. 362. num. 193. & 205.

Epistola hæc mendosa est.

Cur Apollinaris nullam mentionem faciat.

## CONCILIVM PARISENSE I.

*In quo formula fidei ab Arianis suppresso vsque nomine condita, & Arimini suscepta, damnata est, Saturninusque Arelatensis ab ecclesia eiectus, anno Christi CCCLXII. Liberii Papæ XI. Iuliani Aug. II.*

Synodica Concilii, seu fides catholica exposita apud Parisiam ciuitatem ab episcopis Gallicanis, ad orientales episcopos.

*Dilectissimis & beatissimis consacerdotibus episcopis orientalibus omnibus per diuersas prouincias in Christo manentibus Gallicani episcopi salutem.*

OMNI quidem vitæ nostræ fideique sensu gratias Deo Patri per Dominum nostrum Iesum Christum confi-

temur, quod nos in lumine scientiæ confessionis suæ doctrinis & propheticis & apostolicis conlocavit, ne sæcularis imperitiæ tenebris detenti, iudicio sæculi teneremur: cum sola spes sit plenissima ad salutem, Deum patrem omnipotentem per vnigenitum eius Dominum Iesum Christum in sancto Spiritu cõfiteri. Sed plane non minor quotidie gratulationis nostræ causa cumulatur, quod liberans nos ab errore mundi, nunc etiã inexpiabili hæreticorum admisceri non patitur societati. Ex literis enim vestris, quas dilecto fratri & confacerdoti nostro Hilario direxistis, fraudem diaboli, & conspirantia aduersus ecclesiam Domini hæreticorum ingenia cognouimus, vt diuisi in partibus orientis atque occidentis, diuersis inuicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad vsiã silentium sunt coacti. Quod verbum a vobis quondam contra Ariomanitarum hæresim inuentum, a nobis semper sancte fideliterque susceptum est. Nam homouisiou sermonem ad veram & legitimam ex Deo patre vnigeniti natiuitatem sumus amplexi; detestantes secundum Sabellii blasphemias ipsam vnionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes, sed ex toto atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum vnigenitum Deum natum, vnus a nobis idcirco vel vsiã, vel substantiæ cum Deo patre confessum, ne creatura potius, aut adoptio, aut appellatio videretur. Et quia ex ipso esset, vt ex patre filius, vt ex Deo Deus, vt ex virtute virtus, vt ex spiritu spiritus, vt lumen ex lumine. Similitudinem quoque eius ad Deum patrem non inuiti audientes: quippe cum imago inuisibilis Dei sit. Sed eam solum similitudinem dignam ad patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad Deum verum. ita vt non vnio diuinitatis, sed vnitas intelligatur: quia vnio sit singularis, vnitas vero secundum natiuitatis veritatem plenitudo nascentis sit. Maxime cum Dominus ipse Iesus Christus ad discipulos suos sit professus, dicens: *Ego & pater vnum sumus.* Quo non solum caritatem quæ ad patrem est, sed & diuinitatem quæ Dei ex Deo est, significat, secundum illud: *Qui me videt, videt & patrem: & Si mihi non vultis credere, vel operibus meis credite, quia pater in me est, & ego in patre.* Hanc igitur  
semper

*Ioan. 10. 30.*

*Ioan. 14. 9.*

*Ioan. 10. 38.*

ANNO  
CHRISTI  
362.

ANNO  
CHRISTI  
362.

ANNO  
CHRISTI  
362.

semper fidem tenentes & tenebimus. detestantes quoque eos qui dicunt, Non erat antequam nasceretur. non quod Vnigenitum Deum innascibilem predicemus, sed quod impium sit maxime Deo temporum tempus aliquod anteferre, cum ipsum illud, antequam nasceretur non fuisset, sit temporis. Sed & obedientem quoque patri filium etiam vsque ad mortem crucis secundum infirmitatem assumpti hominis non negamus, cum ipse de ascensu suo ad caelos locutus sit: *Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad* Ioan. 14. 28. *patrem, quia pater maior me est.* Per cuius carnis susceptionem nos sibi fratres conuincere dignatus est, cum in forma Dei manens forma serui esse voluit. Itaque, carissimi, cum ex literis vestris in vsa silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat, etiam pietatem eorum qui Arimino Constantinopolim reuerterunt, conuentos, sicut epistola nostra contenta testatur, neque eos ad tantam rem blasphemiarum damnationem potuisse compellere, fidelis Dominici nominis praedicator frater noster Hilarius nuntiauerit; nos quoque ab his omnibus quae per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus. Auxentium, & Vrsacium, ac Valentem, Gaium, Megasium, & Iustinum excommunicatos habemus secundum literas vestras, & certe, vt diximus, iuxta fratris nostri Hilarii professionem, qui se pacem cum his qui horum sectarentur errores, habiturum negauit; blasphemias quoque omnes, quas literis vestris subiecistis, damnamus, maximeque eorum sacerdotes apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissime exulantium, quorundam aut ignorantia aut impietate sunt substituti. pollicentes hoc coram Deo, atque etiam confitentes, vt quisque his quae statuimus intra Gallias, putauerit renitendum, a communionem ac sede sit sacerdotii abiiciendus. Neque enim, vt alias, aut occasionem predicandi non damnando permittens, aut contra Deum & Christi vnigeniti Dei maiestatem aliter, quam nos de homoussiu significatione sentimus, obnitens dignus erit sanctitate sacerdotii nominis iudicandus. a quo etiam Saturninum, qui statutis salubribus impiissime contradixit, secundum fratrum nostrorum geminas iam literas, excommunicatum ab omnibus Gallicanis episcopis caritas vestra cognoscat. quem & ve-

tera dissimulata iamdiu licet crimina, & cetera edita epistolis suis nouæ temeritatis inreligiositas, indignum episcopi nomine esse fecerunt.

ANNO  
CHRISTI  
362.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Synodica Concilii.* ] Hanc primus in lucem protulit Nic. Faber cum reliquis fragmentis Hilarii, ex chartaceo, vt ipse præfatus est, libro non antiquo. Nos etsi eorumdem fragmentorum peruetus aliud exemplar naçti sumus in bibliotheca S. Remigii Rhemenfis, perpauca tamen in hac præfertim epistola suppeditauit, quæ a Fabri editione discreparent.

NOTA SEVERINI BINII.

Post Hilariū  
anno Christi  
362. ab  
exilio reuer-  
sum, in Gal-  
lia frequen-  
tia Concilia  
habita fue-  
re.

<sup>2</sup> *Concilium Parisense.* ] Hoc Concilium vnum est ex iis frequentibus Conciliis anno Domini 362. post Hilarium ab exilio reuerfum in Gallia habitis; quibus testimonio Seueri lib. 2. orientalium error aduersus Nicænam fidei professionem in diuersis Synodis comprobatus, vna cum suis auctoribus, nomen consubstantialitatis in Filio Dei proscriptentibus, penitus condemnatur. De Hilario scribens Seuerus hæc ait: *Verum ubi permensus est orbem pene terrarum malo perfidia infectum, dubius animi & magna curarum mole astuans, cum plerisque videretur non incundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum receperissent, optimum factu arbitratus, reuocare cunctos ad emendationem & penitentiam, frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus fere episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum ecclesiarum fidem reformant. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium episcopus, vir sane pessimus, & ingenio malo prauoque: verum etiam præter hæresis infamiam multis atque nefandis criminibus conuictus, ecclesia eiectus est. Quid in hoc reliquisve Galliarum Conciliis sub Hilario hoc tempore celebratis actum fuerit, ex synodali epistola Concilii apud Parisios congregati colligere licet.*

Acta Con-  
cilii.

Epistola Syn-  
nodalis mē-  
dosa.

CONCILIVM ALEXANDRINVM II.  
ORTHODOXORVM.

NOTA.

Tempus &  
causa Con-  
cilii.

Decretum  
Concilii.

<sup>2</sup> *Concilium Alexandrinum II.* ] Athanasius postquam Iulianum, quem & cito desitutum diuino oraculo præmonitus senserat, defunctum, exulesque episcopos a Iouiano per edictum reuocatos esse audiisset, literasque imperatoris fidem doceri petentis accepisset, citra omnem moram primarios Ægypti, Thebaidis ac Li-

ANNO  
CHRISTI  
362.